



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Vinearum, Germanicè Weingarten/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

6. *D. Scholastica ab Haslang*, nobilis virago, obiit anno Domini 1536. cum laudabiliter præfuisset annis sedecim.

7. *D. Veronica Bollingerin*, non Abbatisa quidem, sed administratrix, post defunctam *D. Scholasticam*, præfuit per septennium penè, donec iterum unanimi fororum consensu anno Domini 1544. eligeretur

8. *D. Maria Reebelingerin*, Patricia Augustana, confirmata Jubileo, hoc adhuc currente anno 1551. feliciter ac utiliter præsidet. Hac ferè de hoc coenobio annotari potuerunt, *G. Haller.* quæ communicavit mihi ejus loci Decanus, *Dn. Georgius Hallerius*, patria Schrobenufanus, qui in hoc ipso sibi suæq; pastoralis curæ commisso districtu primus instituit Festum commemorationis septem dolorum beatæ virginis Matris: de qua re tale meum templo affigi fecit epigramma.

*Conficiare tuis ne sola doloribus ægris,
Virgo, parens Domini Diva Maria mei,
Solemne post Pascha diem tibi dedico, Phœbus
Quem decimum nonum semper ab axe trahet.
Consuat hanc nostram populus quo totus in ædem,
Et peragat festum femina virg, tibi.
Exorans Natumq; Patremq;, ut ceu tibi in istis
Adfuit ærumnis, virgo Maria, tuis.
Sic quoq; nos nusquam, lacrymantes atq; gementes,
Gratia clementis deserat ipsa Dei.
Hoc tibi Virgo dedi generosa, Georgius ipse
Hallerius, templi pars quæ parva tui.*

VINEARUM, Germanicè Weingarten/potentissimum amplissimumq; Instituti Benedictini coenobitarum in Constantiensi diocesi domicilium non procul à Ravenspurgo, Imperiali Suevis civitate, in perveteri pago Altorff ad Schuffium amnem eo ipso sed paululum editiore loco situm, in quo antiquitus patria, natale solum & avita sedes principum Altorffensium fuit, ac ex eorundem femine natorum Gwelphonum, potentissimo.

simorum olim Sueviæ regulorum, id inquam ex arce ducali in domum Dei conversum pietatisq; ac literarum gymnasium esse cœpit annum Domini circiter 800. temporibus nimirum Caroli Magni, ex liberalitate ac munificentia Dominæ *Irmentrudis*, illustris Comitissæ, quæ nobilissimam viraginem *Cronissam* & primos *Guelphones* edidisse dicitur: de quorum origine talis ^{De Guelphorum sive Catulorum origine.} narratur sive historia sive fabella. Vidisse Dominam *Irmentrudin*, quod paupercula quædam civis adjacentis oppiduli *Altorffensis* uno & eodem partu tres filios ederet, quibus visis, dixisse eam, *impossibile esse, ut sine adulterii macula tot filios ex uno marito femina simul excipere potuerit: vere esse adulteram & adulterii pœna dignam.* Ibi sequente anno etiam illam gravidam factam simul edidisse absente marito duodecim infantes admodum parvulos: timore itaque ac metu percussam, ne & ipsa jam adultera esse existimaretur, iussisse, ut relicto uno tantum filio reliqui in proximum fluvium deportati abjicerentur. Hos dum ancilla in præterfluentem rivum *Schertzium* portat, venit casu aut Dei potius ordinatione accitus princeps *Altorffensis*, infantum verus pater, quærens quid ferat ancilla? Quæ cum responderet, catulos esse: *Videamus quæso* (inquit Princeps) *videamus amabo, si qui nobis ex illis placerent, quos tolleremus.* Ancilla ostensuram sese negans, ecquid istas sordes intueri velit, Principem increpat. ^{Nititur in vetitum semper cupimusq; negata.} Is vero instat, puerosq; undecim videns, parvulos quidem, sed egregia forma conspicuos, mox cujus sint, inquit? Audiens vero & discens ab ancilla totam rei seriem & (quare expositum traditi essent) causam, pueros sive catulos istos (quos nos Germani materna nostra lingua *Guelphen* vocamus) molitori cuidam in ea ipsa vicinia habitanti alendos & educandos tradidit: ancillam ad heram, cui abjectos infantes diceret, redire iussit. Postea elapso sexennio pulchre vestitos pueros in arcem suam afferri Princeps jubens, conjugem, ecquid agnoscat hos? quærit. Ibi ipsa deportatorum infantum memor, mox ad genua mariti proci dens veniam commissi petit. Maritus ignoscit & gratitudinis ergo pro divinitus servata tam numerosa prole, in ipso *Altorffensi* oppidulo, cœnobium monialium initio, in tantæ rei perpetuam memoriam construit. Hanc istius monastici loci

Cccc

origi-

originem, hoc verum exordium esse, non exullis quidem veteribus scriptis (quid enim annotarunt? quid non potius neglexerunt somnolenti & ignavi illi superiorum temporum scriptores?) sed ex multorum senum (qui eadem sese à suis parentibus & majoribus audivisse narrabant) non falsa relatione compertum habemus.

*Sic Cyrum puerum, mox Regum Persidis unum
Ser-vavit Domini pro vinda cura Dei.*

*Sic & Romulus & Remus ser-vantur in undis:
Et dux Hebræus cornua fronte gerens.*

*Quos vult mundus enim extinctos, quos deserit atq;
Negligit, hos vere suscipit ipse Deus,*

*In sublime ferens, velut hos quoq; sustulit, atq;
Famosos toto fecit in orbe duces:*

*Hos inquam infantes catulorum nomine notos,
Jusserat exponi quos male cauta parens.*

Donatum vero legitur hoc cœnobium à multis magnis Principibus, primum à Guelphone vel Catulo primo, Comite Altorfensi, ejusq; filia, Domina Juditha, Ludovici Imperatoris cognomento Pii uxore: ab hoc ipso item Ludovico Pio, Caroli Magni filio: à Friderico Barbarossa, qui dedit inter cetera calicem 25. marcarum auri: ab Henrico Superbo, Saxonum & Bavarorum Duce, & ejus conjuge, Domina Gertrude, Lotharii Imperatoris filia. Ab Henrico item Leone, Saxonum, Bavarorum & Brunswicensium duce, quem seditiosum in se Fridericus Imperator in exilium pepulit. A Domina Khunigunde, Imperatoris Philippi filia, Othoni Regi desponsata. Ab Othone item, eodem Bavarorum & Brunswicensium Duce, contra Philippum Regem electo. A Leopoldo, Austriæ quodam Duce &c. Et breviter, ab omni Guelphonum posteritate, in Vinea sepulta, cujus talem reperio genealogiam & ordinariam successionum seriem.

Henbardus, Warini Altorffensis principis filius, vixit temporibus Pipini & Caroli Magni, anno 752. & 780. Hujus liberi fuerunt.

Primus Guelpho, ex Irmentrude, prima Altorffensis cœnobii inchoatrice, genitus. Legitur vixisse annum Christi circiter 820. & ex conjuge excepisse

Bertha, primi hujus & Senioris Guelphonis germana foror, Othoni nupsit Comiti Buchornensi, fundatori nimirum cellæ Pantaleonæ.

Juditham filiam, Imperatori Ludovico Pio desponsatam.

Ethiconem, Comitem Altorffensem, in Ammergovienfi cœnobio, à se fundato, sepultum, cujus liberi fuerunt

Luitgardis, Regina Francorum & Bavarorum.

Henricus Comes.

Barbo, à Danis in mare projectus & suffocatus anno 880.

Is Henricus, Altonis monasterii fundator, ex Domina Beata, utque alii vocant Hatta, Comitissa Pogensi ac Sumuntoriana, Bavara, excepit

S. Conradum, Episcopum Constantiensem, qui obiit an. 976.

Rudolphum, Comitem Altorffensem, qui obiit anno 940. & ex Domina Ita, nobilissimi Comitis Chunonis de Oeningen filia, sustulit

Ethiconem secundum, Comitem Altorffensem, qui Augustanæ urbis factus Episcopus, quinque illis annis & sex mensibus præfuit, ac cœlebs obiit anno gratiæ 988.

Guelphonem secundum, qui monachos ex Altonis monasterio Bavarico Altorffum, moniales vero Altorffenses ad Altonis monasterium transfudit. Is ducta uxore Domina Immissa, ducissa Ostrofrancorum à Glifsberg, Altonis monasterii ampliatrix, factus legitur ex ea pater.

Henricum Comitem, qui in venatione periit, circa Lewenium, Athesinæ provinciæ arcem, saxo, è summis alpibus decidente, percussus.

Cccc 2

Chg.

Chunisse vel
Kunegundis,
quæ despon-
sata legitur
Marchioni E-
stenfi Azoni,
Italiæ re-
gulo.

Guelphonis tertii, qui Dux Carinthiæ
& Norici factus transtulit monaste-
rium S. Martini Altorffensē in mon-
tem, & ex arce (quæ nuper, anno vide-
licet 1053. conflagrat) monasterium
faciens, novum ei Vinearum nomen
indidit primus, Abbatemq; primum in
eo postea constituit anno Dñi 1094.

Is ex Chunisa quadam conjuge
sua excepit

Guelphonem quartum, Ducem Norici ac Baviariæ, extractorem & libe-
ralissimum illustratorem Vinearum cœnobii, qui ex Domina Juditha
Anglorum Regis filia (quæ anno Domini 1094. dedit Ecclesiæ novi mo-
nasterii, inter multa alia præclara ornamenta, etiam preciosis-
simum thesaurum sanguinis Dominici, quem se ejus
loci cœnobitiæ hodie adhuc habere
jactant) sustulit

Guelphonem quintum, qui Vi-
nearum monasterio subjecit
Cellam Pantaleonis anno sa-
lutis 1130. Is sine liberis de-
cessit. Sepelitur cum Avo, pa-
tre ac matre in Vinearum
monasterii sacello, quod S.
Oswaldo dicatum est.

Henricum, Ducem Baviariæ, qui cœno-
bium S. Martini in Vincis iterum de
novo construxit & ampliavit anno
1124. sub Abbate Cunone, in eoq; tan-
dem post conjugis obitum monachus
factus legitur. Obiit in castro Raven-
spurgensi. Sepelitur prope majores sa-
os omnes in sacello S. Oswaldi.

Hic antequam monachus fieret, ducta uxore Domina
Wulphildi, Saxonici Ducissa, sustulit
ex ea

Guelphonem sextum, co-
gnomento largum & libe-
ralem, magnum benefa-
ctorem hujus Vinearum
cœnobii, cui donodedit
Pergenium & Willerium.

Juditham, despon-
satam duci Sue-
vorum Friderico,
matrem Friderici
Barbarossæ Im-
peratoris.

Sophiam, Ber-
tholdo Stirici
Duci nuptui
traditam.
Comitis
conjugem.

Is Guelpho sextus ex Domina Utha,
Palatinissa Caloviensi vel
Kalbensi, excepit

Guelphonem septimum juniorem, qui Imperatoris
Friderici castra sequutus occubuit in Italia,
non relictis hæredibus.

Est in hoc magnifico cœnobio omnium Guelphonum ce-
lebris sepultura in sacello S. Oswaldi: ubi in subterranea crypta
Guelphones omnes ordine positi sedere tanquam in Senatu di-
centur. Hanc cum aliquando Imperator Maximilianus aperiri
jussisset, aliquemque immisisset, qui cadavera intus videret & de
ipsis certi aliquid renunciaret, extinctus ille statim dicitur ex mor-
tifero vapore, qui obuius prodit intronisso speculatore. Est ve-
ro & alia Baronum de Khungsegg magnifica ibi sepultura. In in-
troitu templi pendet costa stupendæ longitudinis, quæ sororis
S. Othmari, primi Sangallensium Abbatis, fuisse dicitur. Cata-
logum hujus loci Abbatum talem mihi mihi communicavit e-
gregie doctus ejusdem cœnobita & Prior, Dominus *Nicolaus*
Heselinus Entringerus, homo literarum studia omnia mirifice col-
lens, humanitate vero præditus tanta, ut vel ex ea sola doctrinam
ac eruditionem tanquam leonem ex unguibus deprehendere
possis.

1. *Beringerus*, primus monasticæ religionis in Vineis plan-
tator, vir eximius & qui spiritualis disciplinæ norma, rudes disci-
pulorum animos præclare ac diligenter excoluit & informavit,
constituitur Abbas anno Domini 1094.

2. *Adilhelmus* successit Beringero, egregium suis discipulis
melioris vitæ exemplum præbens: quod verbo enim docuit,
virtutibus, piisq; moribus & opere implevit.

3. *Herricus*, piæ & simplicis conversationis homo, post
Adilhelmum, gregem sibi commissum in via veritatis stabili te-
nore direxit.

4. *Walicho Herrico* subrogatur, vir pius ac religiosus.

5. *Chuno à Waldburg*, vir generis & morum nobilitate illu-
stris, librorum Augustini diligens scriptor pro augenda Biblio-
theca, præfuit annis 1124. & 1130.

6. *Geb-*

6. *Gebhardus* præfuit paucis mensibus & obiit.
7. *Burcardus* sedit ad clavum non per annum integrum & exauthoratur.
8. *Arnoldus*, egregius fuit constructor & exædificator non faxeorum tantum & ligneorum monumentorum in cœnobio, sed magis preciosarum virtutum in suis cœnobitis.
9. *Dietmarus*, vir nobilis in Transalpinis regionibus natus, ex Hirsaugiensi cœnobio assumtus est in Abbatem Vinearum, ubi præfuit & profuit annis 30.
10. *Marquardus* diu feliciter & utiliter præfuit, tandem amotus, quod senio confectus repuerasceret.
11. *Wernberus* curavit dedicari aſio Domini 1182. templum cœnobii ab Hermanno, Episcopo Constantiensi.
12. *Mengofus*, ex Reichenbacensis monasterii Abbate Vinearum Abbas designatus, vir pius & integer, turrim monasterii construxisse ex imis fundamentis legitur.
13. *Hermannus* de Pirchtenwiler obiit anno Domini 1213. Sub eo iterum dedicatum est templum anno Domini 1207. à venerabili Episcopo Constantiensi, Conrado secundo, in honorem S. & individuae Trinitatis, sanctæq; Crucis, Beatæ virginis Mariæ, omniumq; cælestium virtutum; præcipue vero in honorem sanctorum Martini ac Oswaldi.
14. *Bertholdus* successit Hermanno. Sub ejus gubernatione cœnobium fulmine tactum & combustum est anno Domini 1227. quod ipse tamen præclare iterum instauravit.
15. *Hugo*.
16. *Conradus*.
17. *Brandizo*.
18. *Conradus de Ibach* eligitur anno 1354. Præfuit annis novem.
19. *Henricus de Ibach* successit Conrado anno 1363.
20. *Ludovicus de Ibach* & Haldenberg.
21. *Joannes Essendorpius* præfuit anno 1418.
22. *Joannes Blawerus* præfuit an. 1420. & anno gratiæ 1437.
23. *Erhardus Freidangk* præfuit anno 1462.

24. *Jodocus Pentelinus* extinctus est animi dolore anno 1477. quod eo anno vidisset conflagrare iterum novo incendio cœnobium suum, in ipso festo Ascensionis Domini, neglecto lumine in stabulo à puero Hartmanno, qui postea hujus loci Abbas factus est.

25. *Gaspar Schieck* obiit angina anno 1491.

26. *Hartmannus de Burgaw*, cujus incuria antea incensum cœnobium perierat, jam in ejusdem reparatorem & rectorem eligitur anno 1491. Præfuit fideliter & utiliter annis ferè 30. Incepit reædificare ambitum. Decessit ex hac vita apoplexia anno 1520.

27. *Gerwicus Blaurerus*, patria Constantiensis, vir doctrina & prudentia tantus, ut summis etiam orbis Principibus à præcipuis sit Imperii consiliis, eligitur anno Domini 1520. Præsides hoc adhuc currente Jubileo & Vinearum & Ochsenhusensi cœnobiis splendide. Reædificavit Abbatiam & alia multa: primusq; Vinearum cœnobio mitram intulit, cum præcessores Abbates tantum pedo fuissent antea insigniti. In hujus gratiam tale aliquando lusi Idyllion.

Mitram
quando
Abbatibus
cœnobii
Vinearum
impetra-
runt.

De fundatione Cœnobii Vinearum.

Guelphones veteri, Suevorum sanguine nati,
Altorffi Comites, ex Irmentrude parente
Progeniti primum, quin è Pogensi Beata,
Bosorum Comitissa illustri & religiosa,
Excimia virtute duces super æthera noti,
Artibus ut pacis, sic bello animisq; celebres,
Hanc Wingartensem moti pietatis amore
Construxere domum Triadi sanctissimæ, & ipsi
Æternæ matri, quæ nobis totius orbis
Dirvæ redemptorem genuit, Crucis atq; in honorem,
In qua passus homo & Deus est pro crimine nostro.
Martyri & Oswaldo & Martino antistiti, ut illic
Doctorum & studiosorum veneranda virorum
Turba Benedicte mores vitamq; professa,

Per-

*Perpetua coleret summum pietate Tonantem,
 Disceret & castas sanctus quas Spiritus artes
 Humano generi varios monstravit ad usus.
 Septimus huic vicesimus & nunc imperat Abbas,
 Gervicus Blaurerus, honor clarissimus urbis,
 A Constantino que fertur nomen habere,
 Extructore suo: doctrina consilioq;
 Maximus & fidus tibi consiliarius isto
 Tempore, Germanæ victor ter maxime gentis,
 Carole Quinte. Is viginti sex præfuit annis,
 Hoc quo Carolus Imperium sibi subjugat anno.
 Utq; diutius huic præsit feliciter, ipse
 Præset Olympiaco Christus qui præsidet orbi.*

Cella D. Pantaleonis in Innhofen. Duobus milliariibus Germanicis ab hoc cœnobio est Cella Divi Pantaleonis in Innhofen, infra Buchornam Imperiale oppidum ad lacum Acronium sita, monialium olim Benedictinarum cœnobium, à Domina Bertha, Buchornensi Comitissa, Guelphonis senioris germana sorore fundatum, & ab Episcopo Constantiensi, S. Conrado, Comite Altorffensi, in honore S. Trinitatis sanctæq; Crucis, ac D. virginis Mariæ, sanctorumq; Pantaleonis & Stephani dedicatum annum Christi circiter 950. De ejus origine tale à melusum est superioribus annis schediasma heroicum.

*Buchornensis Otho, Comes inclytus atq; opulentus,
 Cum Bertha consorte thori hac jacet æde sepultus:
 Illa timore Dei plenissima condidit istam
 Virginitas castis Christumq; colentibus ædem:
 Quo Conradus erat tuus, & Constantia, præsul.
 Tempore, sanctus Episcopus: hæc qui Pantaleoni
 Ac diuæ matri sanctissima templa dicavit.*

Comitibus vero de Buchhorn, sine legitimis hæredibus mortem obcuntibus, ad Guelphones principes Altorffenses devolutum ac Weingartensi monasterio una cum templo S. Andreæ (quod vera parochia est Buchhornensis oppidi) nondum incorp.

poratum quidem, sed subiectum tamen esse legitur anno Christi 1130. juxta sequentis diplomatis tenorem.

Guelpho, Dei gratia Dux Noricorum, universis hujus ætatis & futuræ salutem & omne bonum. Audientiæ omnium vestrum duximus ventilandum, quod nos monasteriū in Wingarten beneficia, ex præclaris nostrum parentibus à primaria fundatiōe collata cupientes accumulare, cellam de Buchhorn, in honorem S. Pantaleonis fabricatam, cum Ecclesia S. Andreae in nostram Jurisdictionem à viro illustri Othone, Comite sancti loci, cum omni patrimonio suo juste ac legaliter devolutam, provisioni vel regimini Cunonis Abbatis memorati monasterii ac omnibus suis successoribus committimus & devote subijcimus: quatenus sanctimonialibus, Deo & sanctis sub professione regulari illic famulantibus, de Priore ad regendum ipsas & curam plebis habendam apto provideant, ibidemque regularem vitæ disciplinam procurrent custodire. Interdicentes, ne aliquis nostrorum successorum aut hæredum, ad quos justa successione devenerit Advocatia Wingartensis, præscriptæ cellæ Advocatiam præsumat alienare aut ullo modo alicui infeudare. Quod si quis ex ipsis immemor hujus decreti hoc violaverit, vi. careat & nullius sit firmitatis: sed in civium, sicut in ecclesiastica similiter, protectione seculari fabrica præscripta nostrorum recolendæ memoriæ progenitorum inseparabilis adhærebit. Datæ & ordinatæ apud Altorff in Epiphania, anno Dominicæ incarnationis 1130. regnante Lothario Imperatore. Astiterunt huic commissioni Henricus frater noster, Rodolphus, Bregantensium Comes, Poppo, Comes de Kyburg, Marquardus, Comes de Schwartzache, & alii quamplurimi.

Dedicatum est denuò à Conrado secundo, Episcopo Constantiensi, anno Domini 1215. in Februario.

Habuit hoc cœnobium gubernatrices Magistras, plerunque nobili genere natas. Harum postremæ fuerunt *Catharina Mortellina*, *Domina Agnes à Bergen*, *D. Agnes ab Anwil*, *D. Ulfula Hoiwarina* omnium ultima, quæ præfuit anno Domini 1420.

Dddd

quo

quo anno inter ipsam eiusq; contubernales sororculas non admodum pudice viventes, unius, & Joannem Blaurerum, Abbatem Vinearum, alterius partis disceptantes talis conventio facta, inita & utrimque accepta est, presentibus Othone tertio, Episcopo Constantiensi, & Joanne Dapifero Waldburgensi, S. R. Imperii in superiore & inferiore Suevia præside, ut fieret ex hoc Divi Pantaleonis cœnobio Præpositura, quæ incorporaretur plene Abbatiæ Vinearum, ita tamen, ut mortuis monialibus, ea adhuc tempestate supersticibus, deinceps semper aliquis ex conventu Vinearum cœnobii Præpositus electus resideret in Pantaleonea cella, qui idem parochus etiam esset Buchhornensis oppidi.

S. Pantaleonis Cella & cœnobium fit Præpositura.

Primus itaque Præpositus ejus loci designatus est *Jodocus Dietheimerus*, Ulmensis, qui præfuit ab anno 1456. ad annum usque Christi 1482. Huic successisse leguntur ad hæc usque tempora.

2. *Joannes Lantzius*, Wingartenensis, qui præfuit septendecim annis. Decessit ex hac mortali vita anno Domini 1499. tempore belli Helvetici.

3. *Jodocus Neykhumius*, Lindaviensis, præfuit annis sedecim. Valèdixit mortali vitæ in terris anno Christi 1515.

4. *Joannes à Ramsperg*, nobilis genere, natus patre Marguardo à Ramsperg, matre vero Ursula à Frigkingen, eligitur anno 1515. Præest adhuc anno hoc 1550. Ostendit ille mihi aliquando singulari humanitate multas veteres chartas & quædam diplomata, ex quibus talem Comitum Buchhornensium originem & genealogiam elicere potui, quam hoc loco in antiquitatis studiosorum gratiam & veteris optimæque familiæ honorem ac memoriam subjungere volui.

Udal-

Udalricus, Comes Lintzgoviaë & Buchornæ, ex Caroli Magni posteris & profapia natus, qui in Norico prædia habuit, & Ungaris Noricum incendio, cæde ac rapinis vastantibus obviam egressus, capitur & in Ungariam abducitur. Is ex Wendelgarda Comitissa de Eberstein (hæc neptis erat Imperatoris Henrici Aucupis, ex filia Hedowige, Burcardi Suevorum Ducis uxore) excepit Comites Lintzgoviaë & Buchornæ.

Adelbardum, natum multis annis ante quam pater Ulricus ab Hungaris captus in Pannonias abduceretur. Is Sangallensi monasterio dono dedit oppidum Altstetten, in Helvetiis situm. Genuit filium unum

Richerum, Comitem Lintzgoviensem ac Buchhornensem, patrem Othonis fundatoris in cella Pantaleonis, cujus uxor Bertha, fundatrix prima, soror fuit Guelphonis senioris, Bavarorum Ducis. Otho obiit anno 1101. Sepelitur cum conjugè Bertha in suo cœnobio Pantaleoneo.

Narratur de hac ipsa Wendelgarde, quod, cum audisset, abductum esse in Pannonias maritum suum, Ulricum Comitem, nec esse liberationis ullam amplius spem, mundanis rebus omnibus valedixerit & monialis facta sit Sangalli, inclusa S. Wibradæ cœnobio, consensu Salomonis, Episcopi Constantiensis, ipso anno Domini 916, in quo religiosissime vivens, Deoq; cum precibus, tum jejunio fideliter serviens, singulis annis in memoriam & honorem mariti (quem vita jam functum esse arbitrabatur) manibus ipsius Buchhorni parentare solebat. Cum vero anno 919, iterum, consentiente Episcopo, è Sangallo Buchhornam venisset parentandi mariti manibus & eleemosynas pauperibus elargiendi animo, accidit, ut Ulricus Comes ex Pannonica capti-

Burcardum, natum post patris, ex Pannoniæ vinculis (in quibus triennium perduravit) liberationem, *ingenitum* dictum, eo quod ex mortuæ matris utero excisus esset. Legitur is homo subtilissimi ingenii fuisse, vir honestissimus & summus Eleemosynarius. Abbas tandem Sangallensis, Claudus etiam ex pedis vitio cognominatus.

Mirabilis amor Comitis Buchbornensis conjugis S. Wibradæ cœnobium Sangallense.

Dddd 2

capti-

B
 Chron
 Mon
 S. IM

captivitate liber eodem die (quo solennes ei exequiæ celebra-
 rentur, & ab omni parte mendici ac pauperes catervatim & cer-
 tatim concurrerent, accepturi stipem à Wendelgarde) lacero eti-
 am habitu (pauperis mendici instar) Buchornam rediret. Ac-
 cedentibus autem ad D. Wendelgardin catervatim pauperibus,
 ut acciperent elemosynas, accessit & ipse, non accipiens tan-
 tum oblatam stipem, sed & manum dantis Wendelgardis for-
 tius premens, & in omnium conspectu etiam osculans diuque
 tenens, quod iniquo ferentibus aliquot circumstantibus, quin
 & flagra & verbera tam petulanti mendico minitantibus comi-
 ter respondit: *Ignoscerent sibi, satis superq; jam flagrorum, misere-
 riarum & calamitatum perpeffo.* Wendelgardin vero etiam am-
 plectens dixit: *En tuus ego sum Ulricus, quem superioribus annis
 captum amisisse te existimas, bonitate misericordis Dei saluus & in-
 columis tibi redditus.* Statim igitur agnitus, summo omnium
 gaudio exceptus est. Wendelgardis vero, per Salomonem E-
 piscopum à voto absoluta, velo monastico deposito, ad maritum
 rediit, qui monasterio Sangallensi Hochstenses decimas in Rhe-
 nensi valle tradidit dono. Wendelgardis gravida inter parien-
 dum obiit anno Domini 920. Infans vero, ex utero defunctæ
 matris excisus, *Burcardus* dictus & Sancto Gallo oblatus est,
 qui in monasterio liberaliter educatus & eruditus, tandem post
Cralochii Abbatis obitum, Sangallensis Abbatia gubernator
 designatus est anno 959. Præfuit laudabiliter annis tredecim,
 & resignata postea iterum gubernatione diu adhuc superstes
 mansit.

id est
 roma
 vltimo
 r. d. d. d.
 q. non
 - m.
 Eminent
 monaste
 rium sive
 Liebental

Est non procul ab hac D. Pantaleonis cella, monialium
 ordinis D. Dominici insigne monasterium ad Aichium fluvio-
 lum, qui non procul inde in lacum Acronium se exonerat, situm,
 antiquitus Coeli gaudium, vulgari dictione *Zimelwum* / hodie
 vero *Lewental* / forte à fundatorum insigni, quod habet leo-
 nes sex, & virginem sine manu, aut potius à charitate quam
 leonibus, *Liebental* dictum: id ex arce illustrium regulo-
 rum de Ravenspurg Aistegen dicta in monasterium conversum
 est, sed quo tempore, id ignoratur: donatum vero legitur, &
 post

post primam ejus incinerationem quasi secundario fundatum anno Domini 1250. à Joanne, Equite aurato de Ravenspurgo, & ejus conjuge, Domina Tuta de Angelburg, prima ejus loci Priorissa illic humata, cujus maritus, Dominus Joannes, monasticus etiam studiosus, Constantiæ Prædicatorum monasterium à se fundatum ingressus, illic reliquum vitæ cucullatus exegit, ubi & mortuus & sepultus est. Donatum legitur hoc cœnobium ab Illustribus etiam Baronibus de Bigenburg, Henrico patre, aulæ Regalis Camerario, & filio Friderico: à Friderico item de Bongarõn Barone, strenuo ac opulento milite, ejusq; uxore, Domina Adelheide: à Diethone item de Ravenspurgo, *Dietbo de Ravenspurgo.* ^{Dietho de Ravenspurgo.} fideli regni ministeriali, ejusq; filiis, Henrico, Friderico & Joanne Baronibus. Hunc Diethonem eum esse credo, cui Fridericus Barbarossa primam conjugem suam Adelheidin, Marchionissam Vohenburgensem, (à qua Imperator propter sanguinis propinquitatem segregatus legitur per Episcopum quendam Constantiensem) tradidisse scribitur. Habuit vero & alios benefactores hoc cœnobium, qui cum prænominatis ibi sepulchra & reconditoria sua habent, Comites videlicet de Habsburg, ante summam aram humatos: Barones de Mastertzhoven, Equites auratos de Monte: Equites auratos de Raderach: imprimis vero & præcipuos, Comites de Monte forti, quorum regale est Mausoleum ibi in laicorum ecclesia cum tali inscriptione.

Anno Domini 1305. obiit Comes Hugo de Thettnang, & uxor sua Mathildis Comitissa. Legitur bis esse combustum funditus, semper in festo S. Euphemiæ: semel à fulmine incensum, & postea iterum à duabus monialibus, invitis hoc loco habitantibus. Moniales ejus loci semper post annum tertium aliam sibi gubernatricem eligunt, quam Priorissam vocant: hæc erat, quo hæc scripsi, tempore D. Lucia Velociana, patria Constantiensis, corporis & ingenii bonis præstantissima, electa anno 1549: nata parente, viro clarissimo, Imperialium legum Doctore, qui cum tali epitaphio in Vinearum cœnobio terræ parenti redditus est.

Dddd 3

Hic

Hic cubat egregie doctus Laurentius heros,

Qui legum Doctor Velocianus erat.

Corpus telluri, ast animam commisit Olympo:

Fama decens terris non peritura manet.

Ereskir-
cbium.

Paululum infra hoc cœnobium est Ereskirchium, pagus S. P. Q. Buchornensis, medio ferè itinere inter Buchornam & longum Argovium ad Schuffium amnem illic in lacum exeuntem situm. Ejus pagi templum primum omnium dicitur esse, quod ad lacum Acronium est conditum, unde pago nomen inditum esse, incolæ affirmant.

Kauffburn.

URSINIUM vel (ut nunc corrupte dicitur) Irsingum, olim castrum, eo ipso loco conditum, ubi hodie S. Stephani templum in editiore colle conspicitur, nunc vero monasterium ordinis ac instituti Benedictini amplissimum ac pulcherrimum, paululum infra Kauffburnium oppidum imperiale non procul a Wertachio amne in mediis densissimisq; nemoribus situm, fundatum & locupletatum est anno Christi 1182. regnante Friderico Barbarossa, Suevorum Duce & prægloriosissimo Imperatore, ab Henrico Marchione de Rumsperg & ejus filii, Godefrido ac Bertholdo, & Irmelgarde filia, in media ecclesia ibi sepultis cum tali inscriptione.

Hic generosorum feliciter ossa quiescunt

A Rumsperg Comitum Bertholdi & Godfederici,

Irmelgarde simul dilecta cumq; sorore.

Hujus cœnobii qui primi rite fuerunt,

Authores vera commoti religionis.

Ergo Deo vivant æterna pace fruentes.

Henricus fundator, profectus cum Friderico Barbarossa ad recuperandam terram sanctam, obiit Neapoli anno Christi 1188. qui exceperat ex Udilhilde conjugè Godefridum primum filium, qui mortuus est Augustæ sub cura medicorum, & reventus inde ad Uttenburram ibi honorifice est sepultus; postea ex Uttenburra ad Ursinense monasterium relatus una cum fratre

Ber-